

Martyrium A

Non constituimus martyribus templa sacerdotia, quoniam non ipsi sed Deus eorum nobis est Deus.

Augustinus 8. de civitate Dei.

Martyrium B

Seculi homines infeliciter felices sunt martyres, autem feliciter infelices erant.

Idem super Psalmos.

Martyrium C

Iniuria est pro martyre orare, cuius debemus oracionibus commendari.

Augustinus de verbis apostoli.

Martyrium D

Mori a persequente martyrium in aperto opere est, ferre vero contumelias et odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.

Gregorius in homelia.

Martyrium E

Si adiuvante nos Domino virtutem paciencie servare contendimus et pace ecclesie vivimus et martyrii palmam tenemus.

Gregorius homelia 35.

Martyrium F

Nos sine ferro et flamine martyres esse possumus, si pacienciam veraciter animo custodiamus.

Ibidem.

Martyrium G

Quamvis occasio persecucionis deest, habet tamen et pax nostra martyrium suum, quia et si carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio desideria in mente trucidamus.

Gregorius homelia 3. super ewangelia.

Martyrium H

Duo sunt quippe martyrii genera: unum in publico, aliud in mente simul in actione. Itaque esse martyres possumus eciam si nullo ferro persecucionem trucidemur.

Ibidem in homelia.

Martyrium I

Quod martyrium gravius est quam inter epulas esurire, inter vestes multas preciosas algere, paupertate primi inter divicias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus. Propterea pauperibus pariter et martyribus regnum celorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque dilacione percipitur.

Bernardus in sermone.

Martyrium K

Egestas bene tolerata propter Christum facit martyrium.

Chrysostomus.

Martyrium L

In preliis sensibilibus qui patior est ad occisionem, probior est et hostibus terribilior, quamvis eum rex non possit suscitare post mortem, quanto magis hic ubi tanta spes resurrectionis est.

Chrysostomus super Mattheum 11.

Martyrium M

Fortissimus Abraham sed beatus. Laurencius fortior fortissimo. Audiamus qualiter Abraham sua dimisit et Laurencius sua dispersit et dedit pauperibus; Abraham filium suum Deo obtulit, Laurencius seipsum pro Filio Dei. Hic ignem parat, colligat filium, gladium evaginat, sed angelum audit prohibentem ne perficiat ille ad ignem positus Christum predicat, carnifices vero urgentes carbones ministrando, verbis non exasperat, efficitur holocaustum, Domino id est totum incensum intus igne caritatis, exterius vero flamma tribulacionis, hic quia obediens efficitur, filium recipit incolumen, ille quia perseverat in tormentis, a Dei Filio recipitur ad salutem.

Hugo de claustro anime.

Martyrium N

Hoc enim baptisma, scilicet martyrium in gracia maius, in potestate sublimius, in honore preciosius.

Cyprianus in quadam epistola.